

verum. *SY.* age modo : hodie sero ac nequiquam voles.

345 *CLIN.* datur, fruare dum licet ; nam nescias . .

CLIT. Syre inquam ! *SY.* perge porro, tamen istuc ago. 105

CLIN. ei(u)s sit potestas posthac an numquam tibi.

CLIT. verum hercle istuc est. Syre, Syre inquam, heus
heus Syre !

SY. concaluit. quid vis ? *CLIT.* redi, redi ! *SY.* adsum :
dic quid est ?

350 iam hoc quoque negabi' tibi placere. *CLIT.* immo, Syre,
et mē ēt meum amorem et famam permitto tibi. 110

tū ēs iudex : nequid accusandu' sis vide.

SY. ridiculumst istuc me admonere, Clitipho,
quasi istic minor mea res agatur quam tua.

355 hic siquid nobis forte advorsi evenerit,
tibi erunt parata verba, huic homini verbera : 115

quapropter haec res ne utiquam neglectust mihi.

sed istunc exora ut suam ēsse adsimulet. *CLIN.* scilicet
facturum me esse ; in eum iam res rediit locum

360 ut sit necessu'. *CLIT.* merito tē amo, Clinia.

CLIN. verum illa nequid titubet. *SY.* perdoctast probe. 120

CLIT. at hoc demiror qui tam facile potueris
persuadere illi, quae solet quos spernere !

SY. in tempore ad eam veni, quod rerum omniumst
365 primum. nam quendam misere offendi ibi militem

ei(u)s noctem orantem : haec arte tractabat virum, 125

ut illius animum cupidum inopia incenderet

ēademque ut esset apud te hoc quam gratissimum.